

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Hoc allegoricè interpretabimur.

Mundus nihil aliud est, quàm terra inopiâ; modò panis necessarius deficit, & fames terram premit, ut nullibi frumentum inveniri possit, licet carè emere velis, hinc est, ut qui antè vescebantur voluptuosè interierint in viis suis, Thren. 4. v. 5. Modò verbum Dei pretiosum esse incipit, ut tempore Eli, 1. Sam. 3. v. 1. ut vagandum sit à mari usque ad mare, & ab Aquilone usque ad Orientem, quæ situm verbum Domini, & non inveniatur, Amos. 8. v. 12.

Hæc magna est miseria, neque enim homo carere his potest; pane naturali indiget ad sustentationem corporis, spirituali ad roborationem animæ, propterea Christus ait: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, Matth. 4. v. 4.

Sicut autem tum temporis unusquisque, qui frumenti inopiâ laborabat, Josephum accedebat, qui cuilibet pro pecuniâ, tantum largiebatur, quantum opus erat: Similiter & nos ditissimum habemus Procuratorem, qui aperit manum suam, & implet omne animal beneplacito, Psal. 145. v. 16. Ab eo est panis naturalis, quem quotannis educit de terra, Psal. 104. v. 15. Ab eo quoque est panis cælestis, quem in Ecclesiâ distribui sinit, & quidem sine pecuniâ, Esa. 55. v. 1. ut quilibet, quantum ad salutem indiget, accipere possit, juxta illud: Venite, omnia parata sunt, Luc. 14. v. 17.

Quandocunque itaque alterutrius inopiâ laboramus, ad Christum confugere possumus, quem Pater cælestis idè in mundum misit, ut in eo vitam habeamus, & abundantius habeamus, in æternum, Joh. 10. v. 10.

Præclarum exemplum habemus in tur-

bâ, cujus mentio in Evangelio injicitur, quam Christus spiritualiter & corporaliter cibavit. Docuit enim eos multa, Marc. 6. v. 34. & quia cum desiderio eum audiebant, usque ad vesperam, incibatos dimittere volebat, sed quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus cibabat quinque millia virorum, præter fœminas & pueros, adè largiter, ut non modò saturarentur, sed & duodecim cophini fragmentorum colligerentur.

Nos ad ipsam Evangelii tractationem nos conferemus, contemplaturi

I. Ἀποστολῶν sive *notitiam nostri.*

II. Χριστοῦ sive *notitiam Christi.*

J. J.

Exegesis.

Quod si Evangelium prælectum in compendium redigere vclimus, commodè illud includi poterit aureolo illi Christi: Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & cætera omnia adjicientur vobis, Matth. 6. v. 33. Ubi tum officium nostrum, tum larga Dei remuneratio nobis ob oculos ponitur. Officium nostrum est, ut quæramus regnum Dei & justitiam ejus. Remuneratio est in his verbis: & cætera adjicientur vobis.

Quid regnum Dei sit, ante ostitiduum audivimus, nempe, ubi per digitum Dei Diabolus expellitur, & conscientia, efficaci solatio Evangelicæ veritatis consulitur. Testimonia enim tua fidelia sunt valdè, domus tua est habitatio sancta, Domine, in longitudine dierum, Psal. 53. v. 6. Quomodo verò regnum quærere debeamus, turba nos docet in Evangelio, quæ Christum tantâ devotione insequitur, ut non modò rem familiarem posthabeat: sed sibi quoque corporali

poralis præ desiderio verbi ejus audiendi ob-
liviscatur, hinc sequitur remuneratio, ut
præter expectationem miraculosè à Chri-
sto cibo reficiantur.

Notitiam nostri hinc discere possumus,
quando intuemur:

1. *Christi providentiam.* Sublevavit enim
oculos Jesus, & vidit, quia multitudo maxi-
ma venit ad eum. Christo omnia in con-
spectu versantur, idè respectu sui non o-
pus habet attollere oculos. Omnia nuda
sunt, & intimè patentia oculis ejus, Hebr.
4. v. 13. Sed nostri causà hoc scriptum est;
sæpè enim in eà persuasionem sumus, quasi
Christus oculos clausisset, & negligat nos,
uti etiam discipuli opinabantur, cum Chri-
stus in navigio dormiret, Matth. 8. v. 24. Ut
huic tentationi consulatur, hinc mentio fit,
quod Christus oculos sublevaverit, & vi-
derit multitudinem ad se venientem.

De Xerxe refertur, quod in altissimo
monte exercitum suum, qui ex decies cen-
tenis millibus virorum constabat, lustrave-
rit, lacrymis juxta emissis: quæsitus, cur id
faceret, respondit: affici se tristitiâ, quòd
præter fluxis centum annis, ne unus quidem
ex his fortissimis viris superfuturus sit.

Christus Servator multò aliter oculos at-
tollit, ita, ut simul media meditetur, quibus
indigentia nostræ consuli possit, novit en-
nim quibus indigemus, Matth. 6. v. 32. no-
vit quoque pios de tentatione cripere, 2.
Petr. 2. v. 9.

Hoc testimonia & exempla sacræ Scri-
pturæ luculenter testantur.

Sic scriptum est Sapientia 6, 8. Pusillum
& magnum ille fecit, & æqualiter cura est
illi de omnibus. Non longè est ab uno-
quoque nostrum, in ipso enim vivimus, &
movemur, & sumus, Act. 17. v. 27.

Hic beneficentissimus Pater Israëlitas in
deserto, Exod. 16, 13. Eliam in annonæ cari-
tate, 1. Reg. 17, 4. Daniele in lacu leonum
sustentavit, Dan. 6, 16. Et adhuc hodie, ut lo-
cupletissimus procurator, *unumquemque no-
strum curat, tanquam solum, & omnes tan-
quam singulos*, ut Augustinus ait. Bonus e-
nim est universis, & miserationes ejus, su-
per omnia opera ejus, Pl. 145, 9.

*Hic proba te, mi Christiane, utrum etiam
proximi indigentiam pro virili, ut debitum
tuum, sublevaveris!*

Quod enim Deus respectu nostri facit,
eo nobis exemplum præbet, ut & nos sancto-
rum necessitatibus communicemus, Rom.
12. v. 13. & misericordes simus, sicut & pater
noster cœlestis misericors est, Luc. 6, 36.

Sed parum hoc observatur, ubi enim ho-
mo homini Deus esse debebat, potius homo
homini lupus est. Abundavit enim iniqui-
tas, & requiescit caritas multorum, Matth.
24. v. 12. juxta adagium: *Wer reit der reit/
wer leyt der leyt*; sive ut Jeremias ait, Jer.
9. v. 4, 5.

Sed hoc caritati Christianæ repugnat;
Christus populum hunc *oculis* adjuvat: sic
neque nos oculos avertamus ab indigenti-
bus, sed eosdem præ commiseratione intuea-
mur, qui enim despicit deprecantem, susti-
nebit penuriam. Prov. 28, 27.

Christus populum hunc adjuvat corde,
misertus enim est super eos, quia erant sicut
oves, non habentes pastorem, Marc. 6, 35.
Neque nos corda nostra indigentibus clau-
dere debemus, 1. Joh. 3. v. 17.

Christus adjuvat hunc populum *manibus*,
non n. saltem benedicit panibus & piscibus,
sed discipulos quoque præsentibus distribu-
ere jubet. Sic nostrum quoque erit, frangere e-
surgentem panem nostrum, Es. 58, 7. Eph. 4, 28.

Hoc

Hoc si fecerimus, benedictio Domini sequetur nos, nam mutuo dat Domino, qui miseretur pauperis, & retributionem suam reddet ei, Prov. 19 v. 17.

II. *Apostolorum diffidentiam.* Quia enim secum decreverat, hunc populum, qui cum devotione ipsum audierat, corporali quoque cibo reficere, manifestat hoc propositum discipulis suis, eorum mentem exploraturus, ipse enim sciebat, quid esset factururus. Quo itaque appareat, quid discipuli hactenus in scholâ suâ profecerint, hinc eos quasi in examen abducit, ut cogitationes diffidentes quæ in cordibus ipsorum delitescerant, manifestæ forent. Ideo dicit ad Philippum: Unde ememus panem, ut manducent hi? Philippus, ut bonus calculator exemplo rationem subducit, quantum opus sit, dicens: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Hoc ipso Philippus incredulitatem suam manifestat: Diu hactenus scholâ Christi frequentarat, multaque signa & miracula expertus fuerat, ideo rectius fecisset, si ad hunc modum respondisset: Tu optime noveris, Magister: quomodo indigentiam consulere debeas, qui enim in nuptiis Cananæ aquam in vinum transmutasti, neque deficiet panis inopia succurrere in deserto hoc. Sed artem suam probare vult, quis aliàs novisset, eum tam accuratum ratiocinatorum fuisse?

Accedit & Andreas, hic quia puerum viderat, habentem quinque panes hordeaceos, & duos pisces, Domino id indicat, ita tamen, ut subductâ ratione subjungat: Quid hoc inter tam multos?

Hoc adhuc hodie prædicatur, non eum in finem, ut Andream & Philippum cum consiliis suis derideamus, sed ut exemplo

illorum instructi, infirmitatem nostram, quâ naturâ laboramus, agnoscamus, qui sæpè persuademus nobis: tantâ nos prudentiâ instructos esse, ut vel Domino ipsi consilium suppeditare possimus.

Hic examinet se unusquisque, annon & ipse nonnunquam cum Philippo ratiunculam subduxerit, Deo, ultra externa media, parum crediderit?

Moses magnus erat Propheta, & in omni Dei domo fidelissimus, ut Deus ore ad os ei loqueretur, Num. 12, 8. & miracula Dei non modò viderat, sed & ipse patrarat: & tamen hæc in parte peccavit: ideo à Deo objugatus est his verbis: Nunquid manus Domini invalida est? jam nunc videbis, utrum meus sermo opere compleatur, Num. 11, 21.

Sic adhuc hodie apud multos fides infirmior sit, imò planè evanescit, præsertim si liberorum numerus adsit, & reditus exigui sint, ut dicant: Unde sumemus panem, ut manducent hi? Ibi calculus, sive ratio non concordare vult cum *Arithmetica, ratione quantitatis & numeri*, multi enim adsunt, qui edere volunt, at penus exiguum est. Non convenire vult cum *Physicâ, ratione actionis & passionis*, parùm enim acquiritur, & multum expenditur. Non congruere vult cum *Logicâ, ratione quando & ubi*, tempora enim difficilia sunt, & terra per bellum devastata, licet aliquid colligatur, non tamen sufficit. Quid hoc inter tam multos?

Contra hanc tentationem soletur nos, quod Dominum *omniscium* habeamus, cui miseria nostra abscondita non est, novit n. tribulationes nostras, scit quid faciamus, & ubi habitemus, Apoc. 2, 13. ideoque pleni fiducia cum Abrahamo dicere possumus, Dominus providebit, Gen. 22, v. 8.

Solemur nos, quod Dominum habeamus

mu

mus misericordissimum. In eo enim invenimus cor verè paternum, Psal. 103. v. 13. In eo invenimus cor maternum, imò plus quàm maternum, Esa. 44. v. 15. In eo invenimus Schaddaim, bina ubera, Esa. 66. v. 10. quæ præstant nobis omnia abunde ad fructum, 1. Tim. 6. v. 17. conturbata sunt viscera ejus super nos, Jer. 31. v. 20.

Solemur nos, quod Dominum habeamus omnipotentem, Eph. 3. v. 20.

Qui his tribus fulcris verà fide innititur, instar petræ immobilis persistit, Matth. 16. v. 18. funiculus enim triplex, difficile rumpitur, Eccles. 4. v. 12.

III. Miraculi Excellentiam. Non enim plus aderat, quàm quinque panes hordeacei, & duo pisces, quos ^{vid. in v. in cap. pag.} puerulus

portabat, ex quo colligi potest, non usque adeo magnos illos fuisse, manducantium autem numerus fuit, quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis, quorum procul dubio non exiguus numerus fuit, Matth. 14. v. 21. Luc. 9. v. 14.

Sic nulla erat proportio inter cibum & in-
vini ab his
rebo.
cer cibandos: nihilo minus novit Dominus panes & pisces ita dividere & multiplicare, ut inter manus Apostolorum crescant, & non modò saturando populo sufficiant, sed & duodecim cophini fragmentorum residui colligantur. Quo ipso Christus satis comprobavit, se Dominum esse, cujus manus non abbreviata sit, Esa. 59. v. 1. cui non difficile salvare, vel in multis vel in paucis, 1. Sam. 14. v. 6.

Quando de Isrelitis legimus, quòd Deus in deserto eos per quadraginta annos Man-
nâ cibaverit, Exod. 16. v. 35. item, quod viduæ Sareptanæ hydræ farinæ, & lecytho olei benedixerit, 1. Reg. 17. v. 16. nec non de viginti panibus hordeaceis, quos vir de

AB. Ex voce παιδουριον o. p. colligi, panes istos o. fuisse adeo magnos. Vid. 1. Sam. 18. g. 10. et alia loca in lex. Esa. ad hanc vocem allegata.

Baalsalisâ in veste suâ detulit, quibus Propheta Elisæus centum viros cibavit, ut superfuert, 2. Reg. 4. v. 42. non immeritò Dei omnipotentiam admiramur: Hic Christum Servatorem idem fecisse, audimus: quis igitur de omnipotentia ejus dubitaret, & non potius diceret cum turbâ in Evangelio? Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum! Opera enim quæ fecit, testimonium perhibent de eo, Joh. 5. v. 36.

Hic probate, mi Christiane! verum Christo credas, quod exiguum tuam supellectilem augere & amplificare ille possit?

Reperiuntur homines, qui tantum externis mediis intenti sunt, & his carentibus, animum abjiciunt, non perpendentes, quod ipsa natura refiguretur, deserviens ejus præceptis, Sap. 19. v. 6.

Ipse fideles suos sine cibo, supernaturali modo, sustentare valet, ut Mosen & Eliam, Exod. 34. v. 28. 1. Reg. 19. v. 8.

Quodsi verò per media naturalia agit, pane suos nutrit, eundem

1. Singulariter procurando. Sicuti Eliæ per angelum panem, & per corvum carnem adducere jussit, 1. Reg. 17. v. 6. cap. 19. v. 6. 7. Vide Dan. 6. v. 23. Exod. 16. v. 35.

2. Pauca multiplicando, quale exemplum habemus, Hoc adhuc hodie facere amat, idèd canere solemus:

Terram coronavit bonis,
Ut fructibus sit fertilis:
Montes rigat cum vallibus,
Gramen parat pecoribus,
Et terra panem suggerit,
Vinumq; large suppetit,
Quantum cuiq; sufficit.
Undæ redundant piscibus,
Sic consulit defectibus,
Exclusa ut ova conspicis,

Pullis

Pallis voluerum vesceris,
Sic esculenta fumimus,
Boùm suùmq; carnibus,
Ovesq; largitur Deus.

Er hat die Erden zugericht/
Läßt an Nahrung mangeln nicht/
Berg und Thal die macht er naß/
Daß dem Vieh auch wächst sein Gras.
Aus der Erden Wein und Brodt/
Schaffet Gott und gibts uns satt/
Daß der Mensch sein Nahrung hat.
Das Wasser das muß geben Fisch/
Die läßt Gott tragen zu Eisch/
Eyer von Vögeln eingelegt/
Werden junge darauß geheckt.
Müssen der Menschen Speise seyn/
Hirschen/ Schafe/ Rinder/ Schwein/
Schaffet Gott und gibts allein.

Pecora multiplicantur, Gen. 31. v. 38. frumentum fructum fert, Matth. 13. v. 23. plantæ multiplicantur, hæc est benedictio Domini, quæ dat sine molestia, Prov. 30. 22. Ne proinde despondeamus animum, sed Christo confidamus, qui in diebus carnis suæ paucis panibus & piscibus quinque milia virorum pavit. Quantò magis potentiam suam demonstrabit, ad dextram Dei exaltatus? Eph. 1. v. 21. Propterea, cogitate per generationem & generationem: quia omnes, qui sperant in eum, non infirmantur, 1. Macc. 2. v. 61.

De Secundo.

Pergemus nunc ad alteram partem, *ἡ ἑξῆς* *ἡ ἐξῆς*, sive notitiam Domini nostri Iesu Christi contemplaturi. Hic nobis proponitur in præsentem Evangelio.

1. *Tanquam cibi & potus sanctificator.* Exemplum habemus in quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus, quos accepit

in manus suas & gratias Deo egit, qui eos creaverat propterea supernaturaliter illi augentur, ut non modò satiandis tot millibus sufficiant, sed & duodecim cophini fragmentorum colligantur. Sic adhuc hodie cibus & potus nolter, per verbum Dei & orationem sanctificatur, 1. Tim. 4. v. 5. Ut per benedictionem Dei, nos leguminibus & aquâ magis reficiamur, quàm alii lauto atque opiparo obsonio, Dan. 1. v. 12.

Ideoq; hoc de Christo discere debemus, ut semper sive accubamus, sive de mensa surgamus, oratione cibum sanctificemus. Sive ergò manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, ait Paulus 1. Cor. 10. v. 31. Hoc non sine insigni nostrum emolumento fiet. *Mensa enim, ab oratione incipiens, & in orationem desinens, nunquam deficiet.* ut Chrysostomus ait. Sic verè dicere possumus: Dominus est pastor meus, nihil mihi deerit, bonitas & misericordia persequentur me, omnibus diebus vitæ meæ, ex Psalm. 23. v. 1. 6. Id quod bene observarunt pii veteres, hinc Tertullianus: *Non prius discumbitur, nisi oratio ad Deum prægustetur.* Imò ipsi Judæi, quando cibis fruuntur, orationem non intermittunt, Pater enim familiæ accepto pane, ait: Benedictus Dominus Deus, qui educis panem de terra. Cui reliqui respondent: Benedictus sis is, cujus cibo fruimur, ut Paulus Fagius recenset.

Idem & nos facere debemus, nihil enim à nobis ipsis habemus, sed Dei munificentia fruimur, *cujus mendici sumus*, ut Augustinus ait, Psalm. 104. v. 27. 28.

Equidem Diabolus facilè veneno cibum nostrum inficere potest, juxta illud: Mors in ollâ, 2. Reg. 4. v. 41. Quod si verò oratione devotâ cibum nostrum sanctificamus,

T

tum